

6

Dissertatio
De
**Satisfactione Christi
Vicaria,**

quam
Ex Speciali Sac. Reg. Majt. Gratia
Cons. Summe Ven. Fac. Theol. Gryph.
publicae censurae offert

M. Andreas Bratt
Mathes. et Phys. Professor Reg. et Ord.

Respondente


Christoph. Ziemssen
S. Theol. Stud. Gryphiswald.

in Aud. Maj. d. XXIX. Sept. MDCCCX.

Gryphiswaldiae,
Litteris J. H. Eckhardt, Reg. Acad. Typogr.

TMdO





§. I.

Tam antiquiori, quam recentiori praecipue
aevo non defuere, qui doctrinam Ecclesiae de
Satisfactione Christi vicaria partim rationibus
philosophicis infringere, partim argumento-
rum biblicorum, quibus superstrui solet,
-vim imminuere adniterentur*). Interim ab
altera parte Theologi nostris diebus ma-
gis in id, ut doctrinam hanc ratiociniis a

*) Ut *Socinus*, *Schmalzius*, *Osterodus*, *Volkelius*, *Crel-
lius*; Et *Taylor*, *Scripture doctrine of Atonement*,
Sykes v. Ursprung d. Opfer — *Toellner*, d. thä-
tige Gehorsam Christi — *Eberhard*, *Apologie des
Socrates* — *Steinbart*, *Glückseligkeitslehre* — *Bahrdt*,
Apologie d. Vernunft — *Loeffler*, üb. d. kirchl.
Genugthuungslehre — *Cannabich*, Kritik alter und
neuer Lehren d. Christl. Kirche — *Eckermann*,
Handb. d. Glaubenslehre.

A

priori fulcirent *), quam ut argumenta Sacrae Scripturae in pleno suo vigore sisterent, al-laborarunt. Maximopere igitur optandum est, ut argumenta haec pro theoria Satisfactionis novo accuratoque examini subjiciantur. Nos autem, Specimen Academicum edituri, quaestionem maximi momenti, arduam et difficillimae indaginis, circa quam Viri non minus eruditi, quam cordati veritatis scrutatores, in oppositas sententias abeunt, tractare vereremur, nisi animus de veritate religionis sollicitus in ea potissimum et quasi sua sponte ferretur capita, quae maximis premuntur difficultatibus, et in quibus velut cardinibus reliqua vertuntur. — Propugnatores laudatae theoriae eo plerumque sibi offecerunt, quod quibusdam

*) Vide *Kant*, die Religion innerhalb der Gränzen der bloßen Vernunft, Königsberg 1793. p. 93. — *Krug*, der Widerstreit der Vernunft mit sich selbst in der Versöhnungslehre — *Kroll*, Entwurf der Versöhnungslehre — *Tieftrunk*, Censur des Protestant. Lehrbegriffs, Th. 2. p. 213 seq. — *Ammon*, Summa Theol. Christ. — *J. E. Ch. Schmidt*, Lehrbuch der christlichen Dogmatik, p. 229 seq.

locis S. S. plus justo, aliis autem, magis fundamentalibus, justo minus ponderis tribuerint. Quod ut evitemus vitium, simulque viam nobis ad aequam horum locorum aestimationem aperiamus, locos ipsos in quatuor distribuimus Classes principales. — Ad primam quidem ea referimus S. S. effata, quae generatim de salute per Christum parta, et de liberatione nostra a peccatis eorumque poenis agunt. Secundae ea, quibus dicitur Christus pro nobis mortuus esse, et pretio dato nos redemisse. Tertiae, in quibus mors Christi sacrificio, et quidem expiatorio, Ipsi seque pontifici maximo comparatur. Quartae denique, quibus Christus agendo et patiendo vices hominum egisse dicitur.

§. II.

Dicta, quae primae classi adnumeramus, probant quidem nos per Christum e pernicie eripi, gratiaeque et beneficiorum Summi Numinis participes fieri. Attamen si mente a partium studio aliena examinantur, neque expressis verbis satisfactionem indigitare, ne audigendis omnia de cibis maiis sufficiunt.

que, nexu antecedentium et consequentium id exigente, eandem praesupponere videntur. Male igitur sibi caussaque, quam defendendam suscipiunt, ei consulunt Theologi, ac adversariorum cavillationibus tantum locum relinquunt, qui dogma hoc iis dictis, saltem singillatim sumtis, stabilire conantur. — Non negamus satisfactioni, si modo ipsa prius aliunde demonstrata sit, sententias his locis expressas facile applicari posse. Absque praevia demonstratione autem ad meram deprimitur hypothesin, quae, quantumvis probabilis, fidei salvificae objectum esse nequit. Cumque nostrum sit originem dogmatis exquirere, et fundamenta ipsius biblica examinare, id ipsum, quod finis est disquisitionis, praesupponere non licet; et hoc quidem eo minus, quum heic de mysterio agatur, de quo rationi a priori nihil constat, et de facto per historica potissimum argumenta et testimonia cognoscendo. — In dictis autem interpretandis eum tutissimam tenere credimus viam, qui sensum recipit, qualem vocum frequentior significatus, sermonis nexus et dicta parallela, minime impedit et sine ambagibus

offerunt, quemque homines illius temporis,
quorum gratia literis tradita sunt, secundum
suas ideas religiosas et cogitandi modum, iis-
dem probabiliter tribuerunt; simulque inter
ea effata distinguit, quibus scriptor sacer ex
proposito veritatem novam, seu dogma, ex-
plicat, et ea, quibus aliud agendo, et quasi
in transitu, obiter illud attingit. Providentia
divina neutiquam veritates ad salutem neces-
sarias a grammaticis subtilitatibus et ambi-
guis impeditisque phrasibus, arte multa et
incerta prius explicandis, pendere voluit.
Haud dubitare licet, quin e. gr. Paulus ad
Corinthios eo consilio literas dederit, ut Co-
rinthii indocti eas intelligerent, non ut eru-
diti post multa demum secula, artificiosis et
vagis hypothesibus in auxilium vocatis, men-
tem ipsius eruerent.

§. III.

Si juxta hanc regulam Scripturam Sa-
cram legimus, dicta Matth. XVIII, 11, Joh.
III, 16, Act. III, 15, Act. IV, 12, Hebr. II,
10, Matth. I, 12, 1 Joh. III, 5, 8, 1 Pet. I,
18, Tit. II, 14, Gal. I, 4, Act. XX, 28,

Ephes. V, 25 — 27, Luc. IV, 18, Luc. XXIV,
47, Act. V, 31, Act. X, 45, 2 Cor. V, 19, Rom.
V, 10, 1 Joh. II, 2, 1 Joh. IV, 10, Rom. III,
20 — 24, Gal. II, 16, Philipp. III, 9, et his
similia ex argumentorum pro Satisfactione
Christi vicaria numero excludi debere credi-
mus. Christum enim esse *auctorem*, seu prin-
cipem ($\alpha\lambda\chiηγόν$) *vitaे*, ($\zetaωῆς$) Act. III, 15, et
salutis ($\sigmaωτηρίας$) Hebr. II, 10; Comparuisse
ad servandum quemlibet, qui *perditus esset*
($\sigmaῶσαγ$ Tò $\alpha\piολωλός$), Matth. XVIII, 11;
Tanto Deum amore complexum esse genus humanum,
ut filium suum unicum huic daret, quem quisquis
vera fiducia amplectetur, eum minime periturum,
sed aeternam felicitatem consecuturum, Joh. III, 16;
Neque ullam aliam salutis aeternae viam, nec alii cui-
quam sub sole hanc personam impositam esse, ut per
eum humano generi felicitas sempiterna procuraretur,
Act. IV, 12, Sacrae Literae ubique testantur,
et Christiani cuiusvis Confessionis agnoscunt.
Modum vero, quo auctor nostrae salutis ex-
stiterit, quemque dicta allata non indicant,
si quaerimus, illi profecto, qui in Christo
eximum tantum Doctorem venerantur, pro-
priis ipsius verbis respondebunt: *Per me via*

ad cognoscendam veritatem et consequendam salutem patet, nec, nisi mea ope, patrem adire cuiquam licet.
Joh. XIV, 6; *Qui me loquentem admittit, et ei, qui me misit, fidem habet, is aeternam felicitatem sperare potest certissime, nec sententiam judicis damnatoriam experietur, sed ab (animi) pernicie ad veram (eiusdem) vitam transiit, Joh. V, 24, Confr. Cap. VIII, 5.*

§. IV.

Quum vero Matth. I, 21, ex nomine Jesu, eundem populum suum a peccatis liberaturum ($\sigmaωσει$) ominatur; 1 Joh. III. 5. Christus nostrae vitiositatis caussa homo factus *), et v. 8. Filius Dei humanam naturam sumsisse asseritur, ut mali demonis consilia verteret et acta **), h. e. quemadmodum ex tota epistolae hujus serie patet, ut inveteratam pravitatem, quae opus demonis, primi peccatoris, habebatur, removeret, seu homines ab habitu et servitute peccati liberaret, vitaeque innocentiam et sincerum virtutis studium in terra restitueret; 1 Pet. I, 18, *Vos, non vili illo auri argentine pre-*

*) Ἐφανερώθη ἵνα τοῖς ἀμαρτίαις ήμῶν ἀργη.

**) Ἡνα λύσῃ τὰ ἔργα τῆς διαβόλου.

*tio a pristinas vitae traditique per majores moris levitate liberatos *); Tit. II, 14, Christum pro nobis mortem occubuisse, eum in finem, ut ab omni animi pravitate nos liberaret, sibique rem publicam quandam conderet perfectissimam, cuius cives, virtutum studiosos, praecipuo amore posset complecti **); Gal. I, 4, Scelerum nostrorum caussa mortem oppetiisse, ut nos, ex consilio Dei, patris nostri, hujus aetatis miseriis ac vitiis eriperet ***); Act. XX, 28, Coetum sacrum suo sibi sanguine redemisse****); Ephes. V, 25, Christum rem publicam suam eo usque amare, ut pro illa mortem ipse obierit: Ex his aliisque satis patet, partem saltim ope-*

**) Οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ οὐ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματούσας υμῶν ἀναεροφῆς πατροπαραδότε.*

***) Ἰνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, καὶ καθαριση ἐαυτῷ λαὸν περιέστιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων.*

****) Ὁπως ἐζέληται ἡμᾶς ἐκ τῷ ἐνερῶτος αἰῶνος πονηρῷ, κατὰ τὸ Θέλημα τῷ Θεῷ καὶ πατρὸς ἡμῶν.*

*****) Ή ἐκκλησίᾳ τῷ Θεῷ, ἣν περιεποίήσατο διὰ τῷ ίδιᾳ αἵματος.*

ris, quod Christus nostrae salutis caussa suscepit, et vitae suae dispendio adimpleverit, in eo constitisse, ut ipsam vitiositatem, hanc scaturiginem et radicem peccatorum, h. e. ipsum reatum, e medio tolleret. Etenim universi Auctor, qui in mundo physico caussarum et effectuum necessarium nexum non solvit, neque in mundo morali consequentias, quas cum actionibus hominum conjunxit ipsius sapientia, h. e. poenas, adimit, nisi prius vitio, illarum caussa, remoto. Hoc vero Christus doctrina sublimi, qua immensum Dei ipsiusque erga genus humanum amorem, vitii damna et miseriem, virtutisque cum felicitate nexus intimum, praedicabat; suo ipsius perfectissimo exemplo; ope, quam seriis, sed infirmis, mortalium in virtute sectanda contibus divinitus pollicitus est, et praemio, quod proposuit, ingenti: beatitudine sine fine duratura, effecit. Huic autem negotio ne idea quidem satisfactionis Deo praestitae congruere videtur. Nam reatu sublato quis poterit esse poenae aut satisfactioni locus? Tantummodo pro delictis commissis vel in posterum committendis Redemptor

poenas luere et obedientia sua supplere potuit. Hoc per se constat; ideoque ii, qui Socinum sequuntur ducem, totum redemptionis opus hacce reatus remotione comprehensum volunt; et contra acerrimi satisfactionis defensores, ne adversariis quidquam dent, eandem ab hoc opere fere excludunt, vel saltem minoris momenti habent; non considerantes hanc vitiositatis abolitionem ut finem et naturam christianismi a Jesu et Apostolis urgeri, adeo ut *Deus nos in Christo ante mundi constitutionem elegisse, ut essemus sancti et immaculati coram ipso per charitatem*, Ephes. I, 4 praedicitur. Quare Doederleinus recte monet, sine hac delictorum extirpatione totam redemtionem imperfectam et irritam esse *).

§. V.

Aliis locis, e. gr. Luc. IV, 18, Christum venisse ad exhilarandos salutari doctrina miseros, sanandos animo fractos, et nunciandam captivis libertatem ($\alpha\vartheta\epsilon\sigma\tau\omega$); Luc. XXIV, 47, emendationem animorum et immunitatem a delictis ($\mu\epsilon\tau\alpha\omega\lambda\omega$

*) Instit. Theol. Christ. P. II, Cap. II, Sect. I, Loc. II.

καὶ ἀρεσιν ἀμαρτιῶν) per totum terrarum orbem annuncinre jussisse; Act. V, 31, *Ipsum ut principem summum et servatorem a Deo coelo receptum, ut hinc Israëli, cum delictorum omnium ablatione, et ingens animorum emendatio contingere* *), doce- mur tantum immunitatem a peccatis, seu horum remissionem, cum mutatione animi in melius conjunctam esse, Christoque ut hanc efficiendi, sic et illam tribuendi potestatem concessam; an autem etiam praevia delictorum expiatio, poena data, requiratur, heic non constat.

Magis quidem dogmati nostro favere vi- dentur effata Pauli: *Deum nos sibi per Christum reconciliasse* **), 2 Cor. V, 18, 19. *Nos, dum adhuc hostes essemus, Deo reconciliatos esse per*

*) Τῇτον ὁ Θεὸς αἱρεχηγὸν καὶ σωτῆρα ὑψωσετῷ δεξιᾷ ἀντῷ, δῶναι μετανοίαν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ ἀρεσιν ἀμαρτιῶν.

**) Τὰ γὰρ πάντα ἐκ τῷ Θεῷ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἐαυτῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. οὐδὲ ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμου καταλλάσσοντας ἐαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα ἀντῶν.

*per morten filii ejus *), Rom. V, 10; Christum reconciliasse omnia iu se ipsum, sanguine suo pacificans universum mundum **), Coloss. I, 20, Confr. Ephes. II, 16. Etiamsi enim in Deo immutabili, qui nunquam non fuit pater mortalium benignus, affectus mutationem admittere non possumus, homines tamen, obruti delictis, facientes carnis voluntatem, natura filii irae, h. e. poena digni, et hostes Dei erant, Ephes. II, 1, 3, Coloss. 1, 21. Ideoque quamdiu in hoc statu permanerent, Deo placere ejusque beneficiis bearci non potuerunt. Quod ex hac misera conditione emergimus, certe Christo acceptum referimus. Is nos idoneos reddidit, quibus Deus propitius sit, et *peccata non imputet*, (qua *non-imputatione* Apostolus reconciliationem a parte Numinis definit);*

*) Εχθροὶ δὲ τε κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τὸ θανάτον τὸν ὑπὸ αὐτὸν.

**) Καὶ διὰ αὐτὸν αποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν εἰρηνηποιήσας διὰ τὸ αἷματος τὸν σαυρόν αὐτὸν, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

*qui pacem cum Deo *), Rom. V, 1, et liberum accessum ad Ipsum per Christi mortem habeamus **), 1 Pet. III, 18.* Num autem inde colligere licet Redemptorem non modo docendo et agendo delicta mortalium sustulisse, et ipsis Dei favorem conciliasse, sed etiam vices nostras coram Deo ita explevisse, ut quae a nobis patienda et agenda essent, ipse passus sit et egerit***)? Anne potius hoc beneficium cum illa, de qua mox egimus, liberatione e peccati vi et habitu coincidit? Anne *impius, se convertens a malis suis viis, vivet?* Ezech. XVIII. Anne per missionem Christi, ipsiusque mortem, homines, quantum Numinis cordi sit perditis eorum rebus succurrere, persvasi, hostilem animum et servilem metum deponentes, et

*) Εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν διὰ τῆς κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

**) ὅτι καὶ Χριστὸς ἀπαξ περὶ ἀμαρτιῶν ἐπαθε, δίκαιος ὑπὲρ αὐτῶν, ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ.

***) Ita e. gr. *Benzelius, Rep. Theol. p. 159, Schubert, v. d. Erlöser der Menschen, Th. III. Cap., I, §. 243. seq., plurimique alii.*

fiducia se suaque omnia Deo committentes,
Ipsum habent placatum? — Qui in hucus-
que allatis locis *satisfactionis* inveniri putant
argumenta, supponunt quidem Deum, poena
non soluta, peccata remittere, homines in
gratiam recipere salvosque facere, *non posse*
vel nolle. Quae Deus non possit, mortali non
convenit dijudicare. Et ex hoc capite neque
Ecclesiae Patres *), neque moderatores se-
quiorum temporum hujus doctrinae defenso-

*) Poterat, etsi nunquam advenisset Christus, so-
lummodo loqui Deus et culpam solvere. Sed con-
siderandum est, quid hominibus expediat, neque
in omnibus aestimare, quid Deus possit. Poterat
etiam ab initio salvator advenire; aut cum adve-
nisset, non tradi Pilato. *Athanasius Serm. III. con-
tra Arianos.* — Sunt stulti, qui dicunt: non po-
terat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi
susciperet hominem et nasceretur ex foemina, et
a peccatoribus omnia ea pateretur. *Augustinus Lib.
de agone Christi Cap. XI.* — Mediator Dei et
hominum, cum posset nobis etiam non moriendo
concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus
voluit. *Gregor. Magn. Moral. Lib. XX. Cap. 26.* —
Possibile fuit Deo etiam sine incarnatione nos
salvare, sola voluntate sua. *Gregor. Nazianz. Ep.
ad Trident.*

res *), argumenta depromserunt. Quid Deus nolit, quae ejus sint consilia, quis novit, nisi Spiritus Dei, et cui ille voluerit revelare? 1 Cor. II. 10.

§. VI.

Quid vero? Si Rom. III, 20 — 24, per obedientiam legi praestitam nemo delictorum veniam a Deo consequi, sed per justitiam Deo placentem, propter fiduciam Jesu Christo nixam, omnibus, qui hunc amplectuntur, decretam ac tribuendam **); Gal.

*) Ita Grotius, omnium orthodoxorum recentioris aevi in hac re coryphaeus, in Defensione fidei catholicae de Satisfactione Christi, in Oper. Tom. III. p. 316 seq.: Caussa finalis cur Deus Christo poenam imponeret, fuit, quod tot et tanta peccata sine insigni exemplo transmittere Deus noluerit; Et omnis peccati impunitas per se hoc habeat, quod efficiat ut peccata minoris aestimentur. — Quia vero inter omnes Dei proprietates antistat amor humani generis, ideo parcere voluit; parcendum autem cum esset, aut aliquod exemplum aut nullum adversus tot et tanta peccata statuendo, sapientissime eam viam elegit, qua plures simul ipsius proprietates manifestarentur, nimirum et clementia et severitas, sive peccati odium, legisque servandae cura. — Relaxavit Deus legem, seu poenae comminationem, sed non sine compensatione aliqua, ipsam poenam in alterum transferendo.

**) Εξ ἐργῶν νόμος ἡ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ

II, 16, *Neminem servandis Mosaicae legis ritibus,*
sed sola fide in Jesu Christo reponenda favorem di-
*vinum consequi posse *); Phillip. III, 9, Nullam*
propriae virtutis et obedientiae legi praestitae habere
se rationem, sed unam illam justitiam sequi, qua
Deo propter fiduciam in Christo collocatam probe-
*tur **), — Apostolus profitetur; num inde,*
cum Theologis nonnullis, certiora pro morte
Christi vicaria argumenta desumere licet?
Negamus; nam fidem in Christo positam nil
nisi plenam de Dei benignitate per Christum
manifestata animi persuationem, eique con-
junctum religionis christiana studium, esse,
a multis jam observatum est; Quare miramur
quod ex hac fide et fiducia doctrinam de sa-

ενώπιον αὐτῷ. Νῦν γὰρ χαρίς νόμος δικαιοσύνη
 Θεῷ πεφανέρωται. Δικαιοσύνη γὰρ Θεῷ διὸ
 πίσεως ἵησῷ Χριστῷ εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάν-
 τας τός πιστεύοντας, ὃ γὰρ ἐστι διαβολή.

*) Οὐ δικαιιῶται ἀνθρώπος ἐξ ἔργων νόμος, ἐὰν
 μὴ διὸ πίσεως ἵησῷ Χριστῷ.

**) Καὶ εὔρεθω ἐν αὐτῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιο-
 σύνην, τὴν ἐκ νόμου ἄλλᾳ τὴν διὸ πίσεως
 Χριστῷ, τὴν ἐκ Θεῷ, δικαιοσύνην ἐπὶ τῷ πίσει.

tisfactione vicaria demonstrare tentent, qui in vera vocabulorum vi atque virtute aestimanda et ponderanda sese diu exercuerunt. Damus quidem, notione fidei justificantis in systemate Theologorum ideam de morte Christi vicaria, et imputatione meriti ipsius *) comprehendi; ast, qui rationem quomodo ideae theologicae construi et componi debeant pervestigare studet, et a simplicioribus ad compositiora progrediendo delectatur, simpliciorem certe rei significationem anteponet, nisi graviora rei momenta contrarium jubeant. Sed in locis supra citatis nihil obstat quo minus, praeeuntibus Paulo et Lutherο **), fidei salvificae nomine ani-

*) Quantumvis conservata sit formula: *fidelibus imputari meritum Christi*; haec tamen a conceptu satisfactionis, prius stabiliendo, unice vim adipisci potest. Nam Sacrae Literae ipsius mentionem non faciunt; Et eandem in capite IV. Ep. ad Rom., a Cel. Moshemio in Theol. Dogm. Vol. II. p. 280. allegato, frustra quaerimus.

**) Praefat. Ep. ad Rom. et Form. Concord. p. 701, *fides est divinum opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem adamum mortificat, et ex nobis plane alios homines, in corde, animo et omnibus viribus nostris, facit, etc.*

mum intelligamus Christum ipsum referentem, pium ac probum, qui intimo erga auctorem salutis aeternae, morte violenta oppressum, amore accensus ad characterem ejus agendo, patiendo, quin? moriendo exprimendum nos stimulat atque impellit; Confr. Philipp. III, 8, 10, ubi haec fides, quae tot Christianismi nascentis testes accedit, et supra humanam sortem et virtutem evexit, describitur. Qui hunc animum habet, *a Deo natus, non potest peccare*, l. Joh. III, 9, est igitur justus, h. e. habet δικαιοσύνην Θεῷ, quae justitiae imperfectae speciei, quam legis observatio confert, opponitur *). Qui cum hic

*) Non heic locus est quaestionem gravem, saepe ventilatam, at, ut nobis videtur, haud difficilem, de justificatione *per solam fidem, sine operibus*, multis attingere. Iustificamur gratis, δικαιόμενοι δωρεάν τῇ αὐτῷ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησῷ; Nostri conatus imperfecti certe nihil apud Deum merentur. Omnia ipsius beneficia sunt gratuita. Absque nova autem Christo virtutique consecrata mente non fit justificatio. Nam, ut verba sunt Apol. Aug. Conf., δικαιοῦνται justum facere. Is igitur, qui justificatur, traducitur a peccato ad justitiam, id est, et a reatu

animus, absque illa persvazione de morte J. Ch. vicaria, in nobis agere et ad meliorem frugem nos reducere queat, pro doctrina illa, qua laici ad animi depravationem facile abutuntur, argumenta non temere cumulare, sed potius religiose seligere, et quantum fieri potest, popularia a subtilioribus secernere, atque illa, quae in omnium usum maxime veniant, iis, quae pauciores perspecta habent, anteponere, veri Theologi esse judicamus.

§. VII.

Quod si vero subtiliora non obhorreas, et vestigia saepius laudatae doctrinae in sacra Scriptura accuratius inqviras, inprimis ocurrent Tibi loci, qui curam J. Ch. vicariam uno

seu noxa ad innocentiam, et a vitio ad sanitatem.
Haec mentis mutatio, a fide indivulsa, gratia di-
vina nobis confertur; eandemque ἀπολυτρώσει
Christi debemus. Opera igitur non supponit Justifi-
catione; at supponit fontem et originem eorum,
e qua quin promanent impossibile est, seu ut
Form. Conc. p. 692. habet: *sola fides est, quae*
apprehendit benedictionem sine operibus, et tamen
nunquam est sola.

verbo quasi complecti videntur. |Ejusmodi sunt 1. Joh. I, 16, Luc. XXII, 20, Rom. VIII. 32, ubi *Christus pro nobis* ($\upsilon\pi\epsilon\rho \eta\mu\omega\nu$); 1. Thymoth. II, 6, *pro omnibus* ($\upsilon\pi\epsilon\rho \pi\alpha\nu\tau\omega\nu$); 1 Petr. III, 18, Rom. V. 6, 8, *pro injustis* ($\upsilon\pi\epsilon\rho \alpha\delta\mu\kappa\omega\nu$, $\upsilon\pi\epsilon\rho \alpha\sigma\epsilon\beta\omega\nu$); Marc. X, 45, *multorum vice* ($\alpha\nu\tau\iota \pi\alpha\lambda\omega\nu$) et *nostri caussa*; Math. XXVI, 28, ($\pi\epsilon\rho\iota \pi\alpha\lambda\omega\nu$), et 2 Corinth. VII, 9, ($\delta\iota \upsilon\mu\alpha\tilde{s}$) aut *propter delicta nostra*; Gal. I, 4, ($\upsilon\pi\epsilon\rho \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\omega\nu \eta\mu\omega\nu$), morti cruentae addictus traditur. His vocabulis, praesertim *illo aντι*, mortem Christi vicariam latere contendunt, qui sacrae Scripturae locos oculo Theologia Scholastica armato perlustrant. Concedimus vocem *aντι* analogon hebr. נָתַת et το $\upsilon\pi\epsilon\rho$ saepe numero *loco* seu *vice alterius* esse explicandam, e. gr. Math. V, 28, Luc. XI, 21, 2 Cor. V. 20. Sed multa adsunt dicta, ubi eaedem voce idem significant ac *propter*, seu *alicujus rei caussa*, ut Math. V, 44, 2. Cor. V, 15, Hebr. VI, 20. — Quin et Paulus dicit se pati $\upsilon\pi\epsilon\rho$ $\eta\mu\omega\nu$, καὶ $\upsilon\pi\epsilon\rho$ τῆς ἐκκλησίας Col. I. 24; et tribulari $\upsilon\pi\epsilon\rho$ τῆς $\eta\mu\omega\nu$ παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, 2 Cor. I. 6; Et fidelibus datum esse pro

Christo pati *), Philip. I, 29. Mens igitur sobria atque sincera in dictis, ubi vocabula ista de Christo usurpantur, dubia haerebit, utra explicatio praeferenda sit, donec forte verba λύτρον (premium), αὐτιλυτρόν (redemptionis premium) Marc. X, 5, et 1 Tim. II, 6, λυτρεῖν (redimere) Tit. II, 14, λύτρωσις Hebr. IX, 12, ἀπολύτρωσις (redemption) Coloss. I, 14, nova addere rei monumenta videantur. Evidem non dubito λυτρόν et αὐτιλυτρόν significare premium pro captivis solutum, et Marc. X, 5, ac 1 Timoth. II. 6 animam, a Christo pro mortaliū delictis datum premium vocari, quo homines quasi e captivitate redimeret; pro cuius ideae illustratione ad 1 Petr. I, 18, 19 provocare licet, ubi *non auro atque argento sed potius pretiosissimo Christi, velut agni innocētissimi et sanctissimi, sanguine redemptos nos esse* Apostolus testatur; Sed aequē certum est allata vocabula, neglecta etymologia, saepe de liberatione quacumque, etiam ubi de pre-

*) Ὁπῃ ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ χριστὸν, ἃ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστέυειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτὸν πάσχειν.

tio dato sermo esse nequit, in N. T. adhiberi, e. gr. Luc. XXI, 28, ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ἡμῶν, seu finis mundi; Rom. VIII, 23, ἀπολύτρωσις τῶν σώματος ἡμῶν; et Act. VII, 35, ubi Deus dicitur misisse Mosen ἀρχοντα καὶ λυτρωτὴν. Sed et si proprio sensu sumuntur dicta vocabula, ne verbo tamen memoratur, cui pretium illud eximum a Christo solutum sit, utrum Deo, supremo aeternae salutis auctori, an diabolo, cuius consilia et acta ut evertere, filium Dei humanam sumsisse naturam, Paulus et Johannes praedicant, Hebr. II, 14, 1 Joh. III, 8; quare singuli primorum saeculorum Patres inter hanc utramque opinionem dubii haerebant *).

*) Origo theoriae nostrae vulgo a Tertulliano repetit, utpote qui primus in reparatae salutis cum morte Christi nexu exponendo vocabulo *satisfacere* usus est. Sed verbum hoc non eo, qui posthac invaluit, sensu adhibuit. Est nempe ipsi *satisfacere* idem ac *placare*, ut ex plurimis ipsius scriptorum locis, e. gr. *de Patientia*, ubi Christum Malcho vulnerato satisfecisse dicit, monstrari potest. Et primi Christiani verbis S. S., relatione necessaria ad objectum haud anxie quaesita, acquiescentes, in primis conceptibus a sacrificiis et hostiis petitis, tam Judaeis, quam gentilibus, fa-

§. VIII.

Quod si vero ab Anselmo conditam et post-
hoc ab Augustanae confessionis Sociis adopta-

miliaribus, inhaesisse videntur. Postquam autem in naturam redemptionis penitus examinandam ferebantur animi, plurimi Ecclesiae Patres, ad exemplum Irenaei et Origenis, verbo αὐτιλυτρω et i Pet. I., 18, 19 ac i Joh. III, 8. nixi, Christum animam suam diabolo redemptionis pretium dedit contenterunt. Statuebant nimirum genus humanum a diabolo, cui sponte se tradiderit, captivum juste teneri, adeoque ne Deum ipsum diabolo hominem jure negare potuisse. Deus igitur qui mortales e tam funesta captivitate, non vi, sed justitia, liberare voluit, *aut*, quemadmodum putabant Origenes, Basilius, Ambrosius, Gregorius Magnus, cet., quasi coactus fuit, concedere daemoni, quod posceret redemptionis pretium, modo homines manumitteret; vide Ambrosii Opp. Lib. IX, Ep. 77; *aut*, ut disertis verbis loquitur Gregorius Nyssenus Lib. Catechet. C. 26, *pia fraude Deus est usus*; et Christus humanam natu- ram adsumsit, *ut sub infirmitate nostrae humilitatis divinam majestatem occultaret*, *et sic diabolus concupiscentia occaecatus*, *ut piscis vorax in illam escam irrueret*, *et eo hamo captus aculeo divinitatis transfigeretur*. Hunc ergo pater omnipotens, *hamo cepit*, *et quos tenebat mortales, jure is perdidit*, *quia eum, in quo jus non habuit, morte appetere immortalem praesumsit*; *Gregor. Nazianz. Homil.* — Quamvis absurdum sint haec fig-

tam atque in formula concordiae uberius explicatam theoriam satisfactionis Christi vica-

menta, non tantum (adeo imbecillis humana ratio), Augustinum, Hilarium, Leonem, cet. strenuos habuerunt defensores, sed et per mille circiter annos a toto fere orthodoxo coetu recepta sunt, adeo ut ipse Bernhardus eadem uberius explicaverit et exornaverit. — Tandem fine saeculi undecimi Anselmus docuit *Christum Deo, si justitiam suam salvam vellet, satisfacere debuisse, neque ullo alio modo fieri potuisse, ut Deus cum hominibus in gratiam rediret, sed plane opus fuisse θεανθρωπω, Deo non minori, qui pro peccatis hominum solveret.* Hanc doctrinam fusius dein corroboravit Thomas Aquinas, demonstrans, contra auctoritatem Augustini, non pretium diabolo, sed Deo, solendum fuisse, et passionem Christi non solum sufficientem, sed etiam superabundantem fuisse satisfactionem pro peccatis humani generis. Contra necessitatem Satisfactionis deinde disputavit Joh. Duns Scotus, et ejus asseclae satisfactionem secundum acceptationem gratuitam, quam, si Numini placuisset, et purus homo praestare potuisset, defensitarunt. Lutherus has suo aevo aestuentes lites non diremit; et in Confess. Augst. [Art. IV. de justificatione, simpliciter pronuntiatur: *peccata remitti propter Christum, quia sua morte pro nostris peccatis satisfecerit.*] Auctores Formulae Concordiae, Art. III. p. 696, confitentur totam totius personae Christi Obedientiam, quam ille Patri usque ad ignominiocissimam crucis mortem, nostra

riae perpendimus, videntur huic quidem Loci illi S. S., in quibus Christus Sacrificio expiatorio comparatur, aut ipsi munus Pontificis maximi tribuitur, magis, quam omnia superiorius allata argumenta, favere. Persvasum erat Judaeis per sacrificia iram Numinis placari, et poenas, quas peccata eorum promeruerant, in victimam transferri. Confr. Lev. X, 17. Hanc eos vere fovisse opinionem, et non, ut recentiores nonnulli Theologi contendunt, hostias tantum ut symbola, quibus delictorum culpa ipsis sub imagine contuenda praaberetur *), respexisse, ex scriptis Rabbinicis satis intelligitur; Quemadmodum etiam tam ex Jes. XLIII, 3, ubi Deus dicitur *dedisse Egyptum Ethiopiam et Seba piaculum loco Israëlis*, quam ex duobus memorabilibus locis apud *Josephum*, quos heic

caussa, praestitit, nobis ad justitiam imputari; — Et eam esse perfectissimam pro humano genere satisfactionem et expiationem: qua aeternae et immutabili justitiae divinae satis est factum. — Vide Ziegleri Historiam Dogmatis de Redemptione, in Comment. Theol. edit. a Velthusen etc. Vol. V.

*) Vide Süskind in Flatts Magaz. f. Christl. Dogm. 3, 6. p. 211. — Mori Diss. theol. et philol. Vol. 2. p 73. seq.

adferre juvabit, videre licet ideas, quales nos cum satisfactione conjungimus, Iudeis non insolitas fuisse. — *Lib. de Maccabaeis cap. VI*, Eleazarus ultimum subiens supplicium, Deum sic alloquitur: *Nosti, o Deus, me legis tuae caussa tormentis vitam finire. Quare genti tuae propitius esto, meo, pro illis, supplicio contentus, ut sit meus sanguis expiatio pro iisdem, et meam vitam loco ipsorum accipito* *). Et ibid. Cap. XVII, idem Eleazarus et mulier, cui septem filii, honorem consecuti esse dicuntur, *morte sua patriam purificasse, ut qui redemptio pro delictis gentis suae extiterint. Quorum piorum sanguine, et piaculo mortis eorum, divina providentia Israëlem ante afflictum servavit* **).

*) Σὺ ὁσδα, Θεὲ, ὅτι Βασάνοις ἀποθνήσκω διὰ τὸν νόμον. Τοιγαρέψν Ἰλεως γενῆς τῷ ἔθνει σχ, ἀρκεσθεὶς τῇ ἡμετέρᾳ υπὲρ αὐτῶν δίκη, καθάρσιον αὐτῶν ποιῆσαι τὸ ἐμὸν αἷμα, καὶ ἀντὶ ψυχῶν αὐτῶν λάβε τὴν ἐμὴν ψυχήν.

**) Τὴν πατρίδα καθαρισθῆναι, ὥσπερ ἀντὶ ψυχῶν γεγονότας τῆς τῷ ἔθνεις ἀμαρτίας. Καὶ διὰ τὸ αἷματος τῶν εὐσεβῶν ἐκείνων καὶ τῷ ἱλαστηρίῳ τῷ θανάτῳ αὐτῶν ἡ θεῖα πρόνοια τὸν Ἰσραὴλ προκακωθέντα διέσωσε.

§. IX.

Re ita concepta Loci S. S. ut Joh. I. 29,
ubi Johannes Baptista Jesum agnum divinum
praedicat culpam et scelera mortalium omnia auferen-
tem; 1 Joh. I, 7, ubi Jesus Chr. morte sua
cruenta omnem a nobis delictorum culpam abstulis-
se *), nec non Apoc. I, 5 suo sanguine delicta
nostra luisse **); 1 Pet. II, 24, ubi scelera nostra
corpore suo in crucem quasi pertulisse et sustinuisse
asseritur ***), unde Gal. III. 13, diris devotus
(κατάργει) ****), et 2 Cor. V, 21, scelerum victima
(ἀμαρτία) *****); quid? Ephes. V, 2, victima ni-
doris suavissimi, qua Deo se nostra vice obtule-

*) Τὸ αἷμα ἵνσε χριστὸς τῷ ὑπὲρ αὐτῷ καθαρίζει
ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας.

**) Λέγωντι ήμᾶς ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν ημῶν ἐν
τῷ αἵματι αὐτῷ.

***) Ἀμαρτίας ημῶν αὐτὸς οὖν εγκε ἐν τῷ σώ-
ματι αὐτῷ ἐπὶ τὸ ξύλον.

****) Ήμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάργεις τῷ νό-
μῳ, γενόμενος ὑπὲρ ημῶν κατάργεις.

*****) Τὸν μὴ γνόντας ἀμαρτίαν, ὑπὲρ ημῶν
ἀμαρτίαν ἐποίησε.

rit *); adeoque Röm. III, 25, *propitiatorium* (*ἱλαστήριον*), i. e. res intermedia, nominatur, qua Deus hominibus se placatum propitiumque ostendit **), theoriae satisfactionis lucem insigniorem affundunt.

Imprimis auctor Epistolae ad Hebraeos in enucleanda hac doctrina copiose et luculententer versatur, et heic quidem dicta observari merentur, ubi tanquam summus Sacerdos maxima fide rem divinam fecisse, suoque populo delictorum veniam impetrasse***), Hebr. II, 17; in coelos evectus, ut et nos fidenti animo ad sospitatoris solium accuramus****), Cap. IV, 14-16 — qui gratias Deo

*) Παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπέρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν ἐυωδίας.

**) Ὅν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίσεως ἐν τῷ αὐτῷ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτῷ διὰ τὴν πάρεστιν τῶν προγεγόντων ἀμαρτημάτων.

***) Πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἀμαρτίας τῷ λαῷ.

****) Διεληλυθότα τῷ γρανά. Προσερχόμεθα γν μετὰ παρέησιας τῷ Θρόνῳ τῆς χάριτος,

egerit, obedientiam didicerit, victimas pro delictis obtulerit, et a Deo ipso aeternus sacerdos constitutus *) omnibus, qui ipsi pareant aeternam comparaverit felicitatem; sanctus, sincerus, purus, a sceleratis longe alienissimus **), Cap, VI, 20, et VII, 26, 27; bonorum futurorum conditor, qui majus quoddam et perfectius tabernaculum, nec humana manu factum, aut terrena materia exstructum ***), ingressus, non alienum, sed suum ipsius sanguinem offerens, conciliata nobis in perpetuum delictorum venia (*αἰωνίας λύτρωσιν εὐράμενος*), in adytum illud sanctissimum penetraverit, Cap. IX, 11 - 14; et ita semel tantum sacrificando, ut mundaret conscientiam nostram a delictis ****), v, 14, et

ἵνα λάβωμεν ἔλεον, καὶ χάριν εὐρώμεν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν.

*) Κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα.

**) ὄσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν.

***) Οὐ ταύτης τῆς κτίσεως.

****) Καθαρίζεται τὴν συνέιδησιν ἡμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων.

serviamus Deo vivo; ut aboleret peccatum *),
v. 26, hoc uno sacrificio, quoscumque rede-
merit, in aeternum beatissimos reddidisse **),
Cap. X, 14 etc. prolixa oratione ostenditur.

§. X.

Objicit autem forsan quispiam, Iudaicam
sacrificia sibi repraesentandi rationem Christia-
no minus dignam esse, et purioribus notio-
nibus, quas hic sibi, abrogato ritu Judaeo,
de missionis Christi fine fingere debeat, re-
pugnare ***). Huic responderemus, sensum
imperfectionis et contractae culpe, studi-
umque Divinitatem offensam placandi, hu-
mano generi adeo esse commune, ut inter
omnes omnium temporum et locorum, et sub
quovis sole viventes populos, inveniantur,
qui sibi consciī quam parum ipsorum actio-

*) Εἰς αὐθέτησιν ἀμαρτίας.

**) Μικροὶ προσφορᾶς τετελείωκεν εἰς τὸ διηγεκὲς
τὸν ἀγιαζομένος.

***) Vide F. I. Schwarz, Diss. nexus doctr. de sa-
crificio Christi et Levitico. Lips. 1778. — Bahrdt,
Apol. d. Vernunft, p. 239 seq.

nes et conatus Numini probentur, ad sacrificia aliasque pias caeremonias confugerint, indeque solatum et animi solliciti tranquillitatem sibi quaesiverint; quin ipse Christianus, quamquam Deum ut patrem optimum venerari didicerit, infinitam tamen si Dei sanctitatem et justitiam secum reputet, seu inferiori seu magis proiecto intelligentiae gradu constitutus, non poterit non, inopiam tenuitatemque suam sentire, omnique spe ea, quae Numini debeat, solvendi excidere, nisi ratione quadam provisum esse, ut voluntas Dei perfecte impleatur, et ipse benevolentiae divinae, vel absque seu merito, particeps fiat, praesumere liceat. Interim tamen fatendum est, per hanc theoriam sacrificiorum Judaicam, ejusque ad doctrinam de merito Christi adlicationem, dogma de satisfactione vicaria nondum nisi adumbrationem quandam mortis Christi meritoriae *κατ' ἀντερπον* esse, ex qua sola dogmatis illius valor universim et objectiva significatio minime colligi potest. Cum sacrificia antiqua non Dei sed hominum caussa instituta sint, ideoque non nisi desideria humana expleant, Jesus Chri-

stus etiam, ut hostia se Deo offerens, non re vera ipsi satisfecisse, sed tantummodo ab hominibus ut piaculum considerari posse, ex supra allatis constat. Quare et Theologi recentiores, ut *Doederleinus*, *Morus* etc., theoriam piacularum ab hac doctrina de satisfactione sejungunt. Nos hoc respectu potius Cel. *Ständlin* in *Progr. de mortis Jesu consilio et gravitate*, *Gött.* 1794, et in *Tractatu über den Zweck u. d. Wirkung des Todes Jesu*, in *Bibl. Theol. Götting. P. I.* assentiremur, ubi mortem J. Christi habet pro *symbolica Dei demonstratione*, *malum non posse esse impune*.

Quod vero munera sacerdotalis in Epistola ad Hebraeos obviam delineationem attinet, non singulis verbis inhaerendum, sed scopum Apostoli primarium investigandum et figendum opinamur, quippe quem totius epistolae nexus clarissime monstrat, non aliud fuisse, quam ut praecellentia Instituti et Instauratoris Novi foederis, p[re]ae omnibus, quae in Antiquo sancta et augusta reputata fuerint, oculis subjiceretur. Quisne videt, quantum emineat aeternus ille immortalium Legislator, depravatae naturae humanae re-

novator, et deperditae imaginis divinae restitutor, p^raet illo fragili parum proficientium, et externam solummodo munditiem conferentium, legum constitutore; et Foedus illud, quo arctissimis tenerrimisque amoris intimi vinculis cum Deo conjungimur, quo omnes ceremoniae et servilia officia uno quasi actu inutilia redduntur, quid? quo coeli aeternae beatitudini ita recluduntur, ut p^raeter illos alio templo non opus habeamus — p^raet veteri foedere, quo homines filiali ocoulos fiducia ad Deum tollere non licuit, sed timore anxii continuis hostiis vix salutem terrestrem consequi potuerunt, vix spem et vota ultra vitae hujus miserae et brevis limites extendere ausi sunt. Si allatis locis aliisve insignem N. T. splendorem et officium J. Christi sacerdotale adumbratum deprehendimus, non singulas quidem actiones huic Auctori salutis nostrae immortali tributas literali sensu recipiendas arbitramur; at *comparationi* cum summo Iudaeorum *Pontifice*, qui pro populi delictis intercederet, *ideam* tamen *vicarii*, qui orando et sacrificando populum Deo reconciliaverit, eorumque *vices* quodammodo egerit,

jam inesse suffragamur. Haec autem idea, utrum proprie intelligenda, aut potius allegorice interpretanda sit, per se non patet; quare veram apostolorum sententiam ex aliis adhuc locis colligere nostrum erit.

§. XI.

Heic Loci Rom. VIII, 3, 4, 33, 34; I Ioh. II, 1, 2; Rom. V. 17, 19, et 2 Cor. V, 14, pro doctrina de satisfactione Christi vicaria nobis videntur esse maximi momenti — Rom, VIII, 3, 4, affirmatur Deum *id quod per legem, propter infirmitatem naturae humanae, fieri non potuerit, eo effectum dedisse, quod filium suum humanam natu- ram assumere, et pro impiis immolare siverit* *). Designat igitur auctor immolationem Christi quasi a Deo ipso eo consilio decretam, ut homines ad Christum se convertentes jure et lege

*) Τὸ αἰδύνατον τῷ νόμῳ, ἐν ᾧ ἡσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἔχωντάς υἱὸν πέμψας ἐν ὄμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας, καὶ περὶ ἀμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἀμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ Ἰνα τὸ δικαίωμα τῷ νόμῳ πληρῶθη ἐν ἡμῖν.

a delictorum poenis immunes reddere possit*). Haec idea liberationis a poenis peccatorum ab illa, cuius supra mentionem fecimus, exemptione e servitute peccati haud aliena quidem est; Liberatio tamen a servitute peccati cogitari potest, etiamsi poenae praeteritorum delictorum non tollerentur. Sic quoque victimae hominum gratia oblatae esse possent, nec tamen inde sequeretur, decretum quoddam exsistere, vi cuius Deus praevaricationum humanaarum poenas jure et lege a filio suo in carne manifestato exigeret. Ex hoc igitur loco consilii cuiusdam, humanae rationi inaccessi, quo Deus pro delictis ceterorum hominum hunc unum ut poena afficeret, necessarium duxerit, ideam nobis formare possumus**). Si

*) Efter synden blifvit straffad i hans mandom, så får lagen fulleligen hvad hon kräfver af oss. *Svenska Prof - Öfversättn.*

**) Magna quidem exegetarum cohors, ab *Hug. Gro-tio* usque ad *Stolzium*, verba: *κατέκρινεν αἵματις τίαν* non nisi de peccatorum extirpatione et sublatione in gente humana interpretatur. Sed nullum in sacra scriptura extare locum, ubi verbo *καταγίνειν* non inhaereat poenae notio, 2 Pet.

huic loco effatum Johannis 1 Ep. II, 1, 2, *)
 jungimus, secundum quod Christus *vices peccatorum apud Patrem sustinet* (*παράκλητος*), et simul *placamen* (*ἱλασμός*) *pro peccatis nostris* vocatur, jam luculentius negotium Christi, harmoniam inter Deum et homines restituendi, et, sive hoc monitu, sive verbis, sive actio-

II, 6, non excepto, jam observat *Koppius* in Ann. ad Nov. Test. Vol. IV. p. 157. Potius si verum hujus vocis significatum cum toto verborum contextu confers, hanc Apostoli sententiam erues: Id quod Lex efficere non potuit, Deus praestitit per filium suum. Propositorum erat, per legem minitando et puniendo tollere peccata. Sed obstitit imbecillis humana natura pravis cupiditatibus obruta. Necesse igitur erat ut filius Dei ipse assumeret humanam carnem, et sustinendo poenas, quas lex minabatur, justitiam a naturae ipsius sociis amissam recuperaret, et illustri exemplo suo corrigeret mortalium animos et mores. — Circa locum hunc difficilem videantur: *Knös* Anmerk. öfver Epist. til de Romare p. 308 seq., et *Nitzch* Progr. de discrimine Legislationis et Institutionis divinae ex Ep. Pauli cognoscendo, Viteb. 1802, p. 25.

*) Εάν τις αίμαρτη, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, ἵνσην Χριστὸν δίκαιον. Καὶ αὐτὸς Ἰλασμός ἐστι περὶ τῶν αἵμαρτῶν ημῶν.

nibus fiat, Divinitati pro hominibus peccantibus satisfaciendi; ideoque saltem delinquentium caussam agendi, patet *). Adhuc clarius autem vera Apostoli sententia ex Rom. VIII, 33, 34, Rom V, 17-19, et 2 Cor. V, 14, in oculos cadit. Primo loco: *Christus, qui mortuus est et resurrexit, ut qui vices hominum apud Deum obeat,* depingitur **). Rom. V, 18, diserte dicitur: *obedientiam Christi aequa nobis in absolutionem et felicitatem apud Deum cedere, ac ea quae deliquerit primus Adamus omnibus in damnationem et perniciem cesserint ***).* In aprico est,

*.) Vide Mori Diss. T. 1, p. 298 seq. — Knapp, Diss. de paracleto p. 14 seq. — Ammon, Entwurf e. wissensch. prakt. Theol. p. 217.

**) Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεῖ; Θεὸς ὁ δικαιῶν. Τίς ὁ κατακρινῶν; Χριστός ὁ ἀποθανῶν, μάλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς, ὃς καὶ ἔστιν ἐν δεξιᾷ τῷ Θεῷ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Confr. Joh. XVI, 26, Hebr. VII, 25. Cap. IX, 24.

***) οὐδὲ δι ἐνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατόντειμα, ἕτω καὶ δι ἐνὸς δικαιώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαιώσιν γωῆς. Οὐσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τῷ ἐνὸς

quemadmodum Judaei Adamum pro capite repraesentativo generis humani, in peccata prolabentis, habere soliti erant, ita Paulo heic Christum tamquam omnium eorum vicarium, qui in ipso suam ponerent spem, cum ipso ejusdem animi et propositi ut essent concenterentur, spectatum esse. Quare et effatum Apostoli: 2 Cor. V, 14, *Si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt censendi* *), proprio sensu defendere auderemus, etiamsi contextus ipse allegoricam interpretationem postulet. Qui enim Christum velut patrem familias, velut caput ecclesiae suae, sibi repraesensat, illi nec incongruum videbitur, omne bonum, quod singularis familiae membris eveniat, patri, nutritori et vicario ejusdem tribuere; quin ipsam mortem cruentam, ut poenam totius familiae nomine persolutam, respicere. — Hi aliquique hujus geueris loci, ex nostra sententia, argumenta

αὐνθρώποις αἱμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ,
ὅτῳ καὶ διὸ τῆς ὑπακοῆς τῷ ἐνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοὶ.

*.) Κείνοντες τότε, ὅτι εἰς εἰς ὑπὲρ πάντων αὐτές
θανεῖν, αἴροι οἱ πάντες αὐτές θανεῖν.

sunt primaria, quibus doctrina de satisfactio-
ne Christi vicaria superstruenda esset. Omnia
autem superius allata dicta, in ampliori qui-
dem doctrinae hujus expositione, quatenus
absque hac idea plene intelligi et explicari
nequeant, in subsidium vocanda statuimus *).

*) A scopo nobis praefixo aberrare, et acta agere vi-
deremur, si omnia, quae ad exponendam hanc
doctrinam, eamque defendendam, faciant, hic
adferremus. L. B. allegamus ad *Hug. Grotium*
in Libro de Satisfactione (supra cit.) cum additamen-
tis Joach. Lange 1730. — ad Alph. *Turretinum*
in Disp. de satisfactione J. Ch. Genev. 1601 —
J. Fr. *Stein*, in demonstratione, qua satisfactio-
nis Jesu Christi necessitas argument. theologicis
et philos., adstruitur, Tub. 1755, 4. — *Jo. Gerhar-
dum*, *Abr. Calovium*, *Quenstedtum*, *Scherzerum*
Hollazium, *Jaegerum*, et *Hebenstreitum*, in syste-
matibus ipsorum Theol. — Ad *Jac. Sig. Baum-
garten*, *Moshemium* et *Schubertum*, in scriptis ho-
rum polemicis. — Nec non *le Blanc* in Erweis
d. Genugthuung Christi, mit Rambachs Vorrede,
Giesen 1733. — *Joh. Dav. Michaëlis* in Gedan-
ken über die Lehre von der Sünde und Genug-
thuung, Ed. 2. 1779. — *Seilerum* in Solutione
dubiorum, quae doctrinae de satisfactione objici-
solent, Ed. 2. 1779, et über den Versöhnungstod
Christi, 2 Th. Ed. 2. 1782. — *Storr* in Tractatu
vom Zweck des Todes Jesu, in Explic. Epist.
ad Hebr. Tüb. 1789. — *Döring*, in dnctrina Libr.

§. XII.

Ut autem Lectoribus persuasum fiat hunc
rem considerandi modum neque principiis

Sacr. de morte J. C. vicaria, Wittenb. 1802. —
et C. Ch. Flatt in philos.exeget. Untersuchungen
über die Lehre v. d. Versöhnung der Menschen
mit Gott, Tom. II, 1797, 98. — Qui omnes
acutissimis, cuiusvis aetatis ingenio adspiranti-
bus, e ratione et S. S. petitis argumentis Satis-
factionis vicariae theoriam illustrarunt Quare
etiam hanc eandem recentissimis Theologiae
Compendiis, e. gr. in *Ammonis Summa Theol.*
Christ. 1803, §. §. 110 — 118 — in *Schwarz Scia-*
graphia Dogm. Christ. 1803 §. §. 150 — 153 —
et *Augusti System der Christl. Dogmatik*, Lips.
1809, — in sensu strictiori a *Doederleinio*, *Moro*,
Henke et *Eckermann* antea jam imminutam et
in dubio relictam, — iterum receptam auctam-
que deprehendimus. — Quam parum autem or-
thodoxi illi recentioris aevi dogmatici argumenta
biblica expenderint, ex recentissimo heic citato
Augusti Systemate pag. 228 patet, ubi Matth.
XXVI, 28, 1 Joh. I, 7, Hebr. I, 3, II, 2, 1 Pet.
II, 24, Rom. V, 6, 7, Rom. III, 25, 1 Timoth. II,
6, Coloss. I, 14, ut argumenta palmaria pro morte
Christi vicaria allegat, non habita ratione dis-
criminis inter doctrinam de liberatione a pec-
catis, eorumque poenis, vel de reconciliacione ho-
minum cum Deo, et illam de Satisfactione justitiae
divinae, ut in quo discrimine totalis vertitur.
Unde non mirum, quod Cel. *Eckermann* in uber-
riori *Systematis Dogmatici expositione*, cui titulus:
Handbuch für das system. Studium. der Glaubens-

rationis, neque ideis nostris de sanctitate, justitia et bonitate divina, contrarium esse, haud abs re esse credimus sequentes observationes, doctrinae hujus cum Scriptura Sacra convenientiam, et quaestiouem quatenus Deo digna sit, concernentes, addere. — Vi sanctitatis et justitiae suae Deus perfectam legibus suis praestandam obedientiam exigit, ut voluntati suaē plene satis fiat. Id quod a finita et imperfecta natura, certe ab hominibus fieri nequit; de his enim valet effatum Hiob XV, 14, 15 *qnid est homo quod purus sit etc.*, et *Ecce sanctorum tuorum nemo sine macula; ne coeli quidem puri coram ipso.* Nihilominus pius et probus homo omnibus in id nititur viribus, ut Divinitati satisfaciat, neque prius conquiescit, quam Divinitatem conatus suos probare, et imper-

lehre, Altona 1802, Th. III. p. 574 — 636, omnia, quae huc in censem veniant, dicta biblica ita explicet, ut nullum invenias, quod doctrinam de morte J. Ch. vicaria in sensu proprio confirmet. Quae doctorum circa gravissima theologiae christianaæ capita fluctuatio hujus dissertationis auctorem excusabit, quod argumentorum biblicorum, in certum ordinem redactorum, summam Lectorum oculis subjecerit, quo facilius ipsi doctrinae fulcra examinent.

fectis suis progressibus contentam esse, persvasum habeat. Quo autem pacto, natura quaedam, inferiori perfectionis gradu constituta, inops et vitiis laborans, Sanctissimo et Perfectissimo placebit? Hoc eo tantum fieri potest, ut homo, vitiis quidem contaminatus, sed ad meliorem mentem rediens, sensu, studio et animo ea praestet, quae actionibus suis efficere nequit. Haec est *ea animi et voluntatis integritas* quam S. S. *fidem salvificam*, et quidem fidem in Christum vocat, quoniam Christus, ut filius unigenitus Dei, archetypon illud est, cui ut adsimilemur omni contentione niti, idque in nos transferre, seu, ut Pauli verbis utamur, persona ejus *indui* debemus, si beatitudinis nobis promissae participes fieri volumus. Christus, qui pro mortalibus passus et mortuus est, Emblema divinae Essentiae, iuuago potentiae et gloriae ipsius erat, et in ipso fiduciam suam ponere, est manifestatae in ipso et per ipsum gratiae Numinis fidere. Haec gratia divina posset forsitan, vel absque vicario Christi munere, caussa remissionis peccatorum et aeternae salutis esse. — Verum quando Justitia aeterna quidquam eorum, quae immutabili

voluntate exigit, remittit, rationi *idea* opus est, qua hauc remissionem, hanc legum infinitarum derogationem, captui suo accommodet, et sensibus quodammodo subjiciat. Quae vero hanc in rem aptior est idea, quam illa satisfactionis *mediatoris* inter Deum et homines, qui ab altera parte, vi naturae suae sanctae, infinitae et divinae, in coelos usque pertiugat, Divinitatem ipsam in carne sistens, ab altera autem, ut homo patiendo et agendo commonstret, quid quemque hominem, si Numinis acceptus, et de misericordia divina certus esse cupit, pati et agere oportet *). Hic igitur Θεον-*Θρωπος* vices eorum implevit, et partibus eorum functus est, qui debilitatis et insufficienciae suarum virium sibi consciit, fortiori columine et praesidio, quo dejectus animus sustentari queat et confirmari, indigent. Deus ipse

*) Merebantur peccata nostra, ut poena exigeretur; quod vero poena in Christum collata fuerit, hoc ita ad Dei et Christi voluntatem referimus, ut in summa Christi aptitudine ad statuendum insigne exemplum, caussam habuerit, quae tum in maxima ipsius nobiscum conjunctione, tum in incomparabili personae dignitate consistit. *Grotius l.c. Cap. V.* p. 317.

erat in Christo sibique reconciliavit mundum; ipse consilium iniit, quo hominibus consumatissimum proponeretur sanctitatis et justitiae exemplum, quod secuti sibi appropriarent; in quo fiduciam collocarent; et si non factis quidem, mente tamen pura, cum ipso congruere allaborarent.

§. XIII.

Doctrinam autem hanc de Satisfactione inter Dogmata Theologiae sublimiora, ideoque inter articulos fundamentales secundarios, reponendam esse, putamus. Potest quidam bonus esse Christianus, etiamsi ad distinctam hujus doctrinae intelligentiam nondum adscenderit, nec quidquam in allatis, immo omnibus S. S. locis, nisi subobscurum quoddam satisfactionis Christi diliculum invenerit. In sublimiori vero et perfectiori Theologia, quae usui omnium consulens, doctiorum etiam hominum et mentem et animum implere, nihilque in eis vacui relinquere debet, insigne sibi haec doctrina locum vindicat; quum expiatio divinae justitiae non ut res mortalia, sed ut negotium naturae sublimioris cendum sit, quae eatenus vices nostras

sustineat, quatenus Dei nomine, quae nobis desunt, explet, virtuti nostrae decoram, Numinique gratam, formam conciliat, doloribus nostris per suas aerumnas pretium, et nostrae morti suo exemplo decus addit. — Ex his sequitur Christum non in omnibus, sed tantum in eis rebus, ut vicarium colendum esse, quas ipsi efficere non possumus; quae vero in gloriam divini Numinis fieri deberent, si recti, veri et honesti reverentia in orbe terrarum regnaret, si superbia propriis subnixa meritis reprimeretur, et homines, debiti sui, cui delendo impares sunt, immensitatem videntes, ad verecundiam et pudorem commoverentur. Hic est quoque verus hujus doctrinae usus *), cuius pleniorum in aliud tempus differimus explicationem.

*) De hodierno usu hujus doctrinae practico, vide *Schlegel* in Henke N. Magaz. H. 2. p. 118 seq. — *Danovii Habitus doctr. de satisf. ad discipl. morum 1775.* — *Eggers Ueber den moral. Werth vom Zweck Jesu 1794,* — et *Reinhard Vorles. über die Dogmatik 1801.* p. 412.

zurück zu den ersten beiden Strophen des Gedichtes. Die dritte Strophe ist eine Veränderung der zweiten, die vierte und fünfte Strophe sind gleich. Die sechste Strophe ist eine Veränderung der dritten, die siebte und achte Strophe sind gleich. Die neunte Strophe ist eine Veränderung der sechsten, die zehnte und elfte Strophe sind gleich. Die zwölften Strophe ist eine Veränderung der neunten, die dreizehnte und vierzehnte Strophe sind gleich. Die fünfzehnte Strophe ist eine Veränderung der zwölften, die sechzehnte und siebzehnte Strophe sind gleich. Die achtzehnte Strophe ist eine Veränderung der fünfzehnten, die neunzehnte und zwanzigste Strophe sind gleich. Die dreißigste Strophe ist eine Veränderung der achtzehnten, die dreißigste und dreißigste Strophe sind gleich.

Die Gedichte sind in zwei Teile unterteilt: den ersten Teil mit den ersten zehn Strophen und den zweiten Teil mit den nächsten zehn Strophen. Der erste Teil besteht aus den ersten zehn Strophen, der zweite Teil aus den nächsten zehn Strophen. Die Gedichte sind in zwei Teile unterteilt: den ersten Teil mit den ersten zehn Strophen und den zweiten Teil mit den nächsten zehn Strophen. Der erste Teil besteht aus den ersten zehn Strophen, der zweite Teil aus den nächsten zehn Strophen.

Unkennbar



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
3/Color


Magenta
Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



6
seratio
De
tione Christi
icaria,

quam
di Sac. Reg. Majt. Gratia
Ven. Fac. Theol. Gryph.

icae censurae offert

Ireas Bratt

Phys. Professor Reg. et Ord.

Respondente

toph. Ziemssen
eol. Stud. Gryphiswald.

d. XXIX. Sept. MDCCCX.

Gryphiswaldiae,
Eckhardt, Reg. Acad. Typogr.

Mo 014